

*Temporalis vita eterne comparata mors est potius &c.* Porrigitur usque ad C. XXXVII. v. 12.

CXCI. VI. H. 25.

663 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 17. reipsa 13. 4. Exemplum enim partim duplex est, hunc Titulum praefert: *Gregorii de Animo seu Animi Immortalitate. Ad Tatianum. Liber singularis Graecolatini. Claudio Ancanthero M. D. et sacrae Caesareae Maiestatis Historico interprete. Gregorius hic Neocaesariensis in Ponto Episcopus perhibetur, Sec. III. clarus, et Thaumaturgus appellatus, cujus Scripta Fabricius enumerat Bibl. gr. L. V. c. 1. nostrumque hunc primum editum graece ait a Ger. Vossio adjecta versione sua lat. Moguntiae 1604. cum aliis Gregorii Operibus 4. et iterum Versionem hanc lat. cum Claud. Mamerto a Casp. Barthio Cygnaeae 1655. 8. quae Editiones mihi adjacent. Aliam Versionem extare addit in *Bibl. PP. Paris. 1589. T. 3.* At certum est, Versionem hanc jam extare in edit. prima *Bibl. PP. Marg. de la Bigne. Paris. 1576. T. VIII. col. 45.* et etiam Versionem *Ancantheri* nostri jam Sec. XVI. lucem adspexisse. Quamvis enim Editionem nunquam oculis usurparim nec alicubi adnotatam repererim, ideoque nec de anno pronuntiare queam, ipsa tamen *Ancantheri* aetas, ut infra adparebit, et vel maxime Codex noster Typothetarum notis folia*

et paginas impressiois indicantibus signatus rem liquido evincit. Dicat porro Interpres noster laborem suum *Ill. D. Domino Ferdinando Hofman Lib. Baroni in Grülenpüchl et Strechavo, in Graeuensstain; Supremo Hereditario Aulae Magistro Duc. Styr. et Supremo Hereditario Marefchallo Archiduc. Austriae et Ducat. Styr. Sc. Caes. Majestis. Consiliario et Aulicae Camerae praefecto, erudita Praefatione, quae incipit: De Animi natura — ueterum multiplices distractaeque sententiae fuere &c.* Sententiis his ampla Veterum cognitione expositis ita pergit: *Hunc igitur de animi Immortalitate libellum — latine uerti et in tuo multo amplissimo et ornatissimo nomine, Praeses Illustrissime, diuulgauit tum ut cognosceres, quanta ardeam cupiditate alicuius gratiae apud te promerenda, tum etiam tibi nuncupatum gauderes, quod e Perillustri et perhumani Viri Rudolphi Coraducij aulici Consiliarij omni leuissimorum librorum genere referta Bibliotheca sit profectus.* Bibliothecam hanc a Coraducii Imperii deinceps Vicecancellarii Heredibus emtam *Ferdinandus II. Domui Professorum S. J. Viennae* dedit, ut habes *Lambec. L. I. p. 65.* edit. *Kollar. col. 136. Seb. Tengnagelio* nostro eam, dum viveret, modis omnibus deposcente Bibliothecae Augustae, cujus vota saltem ab Ordinis extinctione impleta sunt. De ipso Libello sensum suum ita aperit *Ancantherus: Libellus Gregorij nomen praefert.*

*An vero sit is Gregorius, cujus libros de anima Nemesius in Epitomen redegit, incertum; fieri possit, ut is preter illud maiorum uigiliarum opus in gratiam Tatiani amici scholasticum hoc de animo opusculum scripserit. Quisquis is fuerit, certe non obscure constat Christianum Theologum fuisse et de animo sicut illius ordinis pene omnes, cum diuino Platone sensisse. Deinceps Patrono contra obtrectatores se commendat. Vix pedem buc intuli, nemini aut paucis et adhuc solo nomine agnitus, et ecce inuidentiæ turbo contra me excitatus, et dissipati sermones atrocissimæ contumeliæ pleni, quasi me unum e multis ferre nequeant extra eorum subsellia in litteris educatum &c. Repulsurum se tela, sed confidere in Praefidis tutela. Locus et Annus ab hac Praefatione absunt, sed, ni vehementer fallor, Pragae et A. fortasse 1592. aut 93. adfigenda est. Rationes expediam, ubi dixerò, mirum esse de Claudio Ancanthero apud Scriptores silentium. Nomen ille sibi pro aevi more e Graeco Ἀγνος Vallis et Ἀνδρῆος Floridus composuisse videtur, cumque genere Barrhoducensis (Bar le Duc) fuerit, aut gallico Valsleury, aut germanico fermone Blumenthal dictum fuisse arbitror. Patriam illius prodit Diameron in Nuptias Ferdinandi Medicis et Christiernæ Lotharingicae, quod Auctore Claudio Ancanthero genere Barrhoducense D. Med. prodiit Patavii 1590. 4. Primum illius, quod mihi inno-*

*tuit, Scriptum. Patavii eum elegantiores saltem literas profectum fuisse, Adversaria mox adferenda innuunt, tacente Nic. Comn. Papadopolo in Gymn. Patav. Non multo post Pragam in Rudolphi II. Imp. aulam commendante Rudolpho Coraduccio supra memorato transiit, moxque Libellum Gregorii typis paravit; memineris enim verborum Praef. Vix pedem buc intuli &c. Secutus est Mich. Pselli Nomenclator Gemmarum, quæ magis in usu sunt, cum earum Medicinis, cum Claudii Ancantheri Med. et Historici Caes. notis. Typis Ottobomarianis (Pragæ) 1594. 8. Item: Rudolpho II. Imperatori semper Augusto Claudii Ancantheri, ejus Historici, Panegyricus, Jaurino recepto dicatus. Pragæ apud Joan. Ottmarum. 1598. 4. Atque haec quidem Viri in lucem publicam emissa novi. Addam nunc, quæ Mspta apud nos servantur. Et primum quidem Adversariorum Liber II. et III. mutili tamen, quibus plura Autorum Classicorum Graec. et Lat. Loca egregie emendantur aut illustrantur, hoc initio: Ego cum enarrarem librum tertium Rhetoricor. Aristotelis adolescentibus quibusdam nobilissimis &c. quo quæ de Patavina commemoratione dixi, confirmantur. Dein Versio latina Fragmenti Arithmetici graeci voluntate Jac. Curtii intimi Consiliarii Caes. et Procancellarii Aulici suscepta, eique adscripta Pragæ ex adibus nostris, de qua videri potest Lambec. L. VII. p. 194. edit. Kollar. col.*

col. 412. ubi nota A. reformatur Lambecii iudicium. Est praeterea apud nos *Historia bellorum in Hungaria gestorum imperante Rudolpho II. Caes. Rom. bona fide conscripta*, quae Capp. XXXIII. ab an. 1592. ad an. 1598. porrigitur, ultimo tamen Cap. imperfecta, quam Ancanthero, qui, uti dictum, Historici Caes. munus gessit, facile tribuero. Inter plures demum Libros, qui ab eo ad Bibliothecam Caes. pervenire, notabilis est *Lycophronis Cassandra cum Job. Tzetzae Variis Historiis Basileae 1546. f. impressa*, quam ille eruditus animadversionibus passim enotavit. Solenne vero illi fuit ejusmodi Libris praescribere: Κλαυδῖς Ἀγκανθήης τῆ Ἱατροσοφίης κτῆμα; quo lemmate deceptus Fabricius eum *Bibl. gr. L. V. c. 45. inter Scriptores Graecos* retulit. Atque haec haecenus de Viro mihi innotuere, qui certe inter *Calmeti illustres Lotharos*, inque *Joecheri, Kestneri &c.* Lexicis locum meruisset, dignus *Matthioli, Dodonaei, Jul. Alexandrini, Cratonis*, aliorumque Archiatrorum Augustal. consortio. Ut tandem ad Codicem redeam, Tractatum περὶ Ψυχῆς Recentiores *Caveus, Cellerius, Oudinus Gregorio Neocaes.* abjudicant, et ad quendam mediæ aevi Philosophum referunt. Incipit is: Τὸν περὶ Ψυχῆς σοι λόγον ἐκέλευσας ἡμῖν, ὃ θαυμάσιε Τατιανέ, μετ' ἐνεργουσῶν ἀποδείξεων διαχαράξασιν ἀποσεῖλαι. &c. Quod Noster reddit: *Mandasti nobis, Tatiane Vir ornatissime, ut non*

*adumbratam sed expressam de Animo disputationem ad te mitterem &c.* Versio Marg. de la Bigne in *Bibl. PP. supracit. Jussisti, praeclare Tatiane, ut ad te de anima perspicuum et certum aliquid conscriberem &c.* Versio Vossii: *Jussisti, praestantissime Tatiane, ut cum efficacibus argumentis siue demonstrationibus sermonem atque disputationem de Anima tibi conscriptam mitterem &c.* Denique Versio Nic. Nourry, qui ab se Libellum nostrum ἀνεκδοτὸν T. II. *Adparat. ad Bibl. max. PP. Paris. 1697. p. 734. 8.* vulgari putabat: *Jussisti nos, venerabilis Tatiane, sermonem de anima instituere, validamque de ea tibi mittere demonstrationem &c.* legit enim: μετ' ἐνεργουῶν ἀποδείξεως. Ast in editione *secunda* Libellum omisit. Postremum observo, Textum graecum a *Cod. nostro* abesse, quamvis in Titulo promissus fuerit, extare vero *Cod. Graeco Theol. XLV.* diserte *Gregorio Neocaes.* inscriptum, ut habes *Lambec. L. III. p. 63. edit. Kollar. col. 171.*

CXCII. VII E 29.

Codex membraneus lat. Sec. 347 IX. Folior. 138. f. Formae pene quadratae, nitide exaratus, literis omnium Titulorum majusc. saepe rubricatis, servatusque, olim ad celeberrimam *Laurissensem Ecclesiam* seu Coenobium *Laurishamense* pertinens, varia *D. Cypriani* ex Rhetore *Carthaginensis* Episcopi, *Africaeque* Pri-